



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Sect. II. Præcipua Fidei usurpatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**



III. Fides idem quod fidelitas, seu veracitas.

Fides hoc sensu est virtus moralis, spectans ad voluntatem.

IV. Fides interdum capitur pro fiducia, estque alius spei, & pertinet ad voluntatem.

V. Negat nulli, fidem unquam in Scripturâ usurpari pro fiducia.

Fides viva & erecta fiducia, languida timorem excitat.

Probabile est fidem subinde in Scripturâ pro fiducia usurpari.

Primo ergo, Fides idem est ac veracitas, seu in promissis servandis fidelitas, spectatâ, ut videtur, nominis etymologiâ: Fides enim, ut post Ciceronem libro primo Officior. ait S. Augustinus Epist. 19. ad Hieronymum, in Latino sermone ab eo dicitur appellata, quia sit quod dicitur. Sic autem accepta fides spectat ad voluntatem, estque virtus quædam moralis constantiam præbens in eo præstando, quod promittitur. Sic Levitici sexto, v. 2. dicitur: Anima, qua negaverit proximo suo depositam, quod fidei ejus creditum fuerat, &c. convicta delicti reddet omnia, que per fidem voluit obtinere, &c. Hoc sensu Deus, qui fidei intellectualis non est capax, dicitur nihilominus fidelis: Sic primâ Joan. 1. v. 9. de Deo dicitur: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat, &c. & ad Roman. 3. v. 3. Nankid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit?

Secundò à quibusdam etiam Catholicis sumitur fides pro fiducia, seu confidentiâ in Dei bonitate, videturque eadem cum virtute spei: ita Vega lib. 9. in Trid. cap. 29. multiq; ex Divi Thomæ expositoribus, Lorca hic, in proœmio, Bannes, Aragon, & alii. Idem docet Rossensis a. 1. contra Lutherum, Valentia hic, q. 1. p. 1. valdeque probabile existimat Tannerus fidem in Scripturâ sacrâ hoc modo identidem usurpari, ut apud S. Jacobum cap. 1. v. 6. Postulet autem in fide nihil habitans. Matth. etiam 14. v. 31. Modica fidei quare dubitasti: quod aliis præterea Scripturæ locis insinuari videtur.

Alii tamen, quamvis hanc fidei acceptionem univèrsim non respiciant, aiunt nihilominus nunquam hoc modo fidem in divinis literis usurpari: ita Soto lib. 2. de naturâ, & gratiâ, cap. 6. Belarminus lib. 1. de Justif. cap. 11. & alii: in quorum sententiam propendit Suarez hic, Disp. I Sect. 1. num. sexto, quamvis contrarium asserat posse probabiliter defendi. Hi proinde auctores dicunt nullum omninò ex Scripturâ locum proferri, qui de fiducia, seu actu voluntatis, quo quis in Dei bonitate, & misericordiâ confidit, necessariò debeat intelligi. Locum ergò illum S. Jacobi intelligi posse aiunt de fide intellectuali, qua quis Dei omnipotentiam, & misericordiam paratam esse credit ad opem nobis ferendam, non absolutè, sed conditionatè, si nimirum nos quæ ex parte nostrâ requirantur, ponamus, & cæteræ conditiones non desint. Quando etiam dicuntur aliqui Modica fidei, intelligitur non quidem habuisse ipsos infidelitatem, sed fidem intellectualem veram, quamvis non adeò vivacem de Dei potentiâ, sed imperfectam, & languidam, ex qua proinde ortus est timor, quam viva fides impedivisset, & illius loco in eorum mentibus confidentiam, & fiduciam excitasset. Ego certè hac de re non magnoperè contendendum existimo, Utrum scilicet hæc vox fides in Scripturâ subinde pro fiducia usurpetur: imò mihi satis probabile videtur hoc modo interdum in ea usurpatam reperiri.

SECTIO SECUNDA. Præcipua Fidei usurpatio.

I. Præcipua Fidei acceptione spectat ad intellectum.

DUAS Sectione præcedente statuimus fidei acceptiones, ambas ad voluntatem pertinentes. Præcipua verò illius usurpatio spectat ad intellectum, estque assensus, quem quis præbet dictis alterius, eique aliquid affirmanti fidem adhibet, sive humanam, si homo sit qui loquitur, sive divinam, si Deus. Sic ad Hebræos 11. v. 3.

dicitur: Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, &c. & ibidem v. 6. Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Idem frequenter in divinis literis habetur, ut Matth. 9. v. 28. & alibi. Hoc etiam modo loquitur S. Augustinus libro de Spiritu, & literâ, cap. 31. Aliter, inquit, dicimus, non mihi habuit fidem; aliter autem, non mihi servavit fidem. Nam illud est, non credidit, quod dixi; istud, non fecit, quod dixi. Imò, quicquid cum Melancthone, & aliis ex Novatoribus dicat Valla, & Budæus, hæc fidei usurpatio, non facris tantum, sed etiam profanis Scripturis est familiaris: sic Cicero lib. 2. de divinatione, prope finem: In sanorum visis, inquit, fides non est adhibenda. Virgilius etiam lib. 4. Aneid. Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum: eodemque modo auctores alii primâ latinitatis loquuntur.

Aliud est alicui non habere, aliud non servare fidem.

Hoc itaque sensu fidem in præsentî sumimus; prout nimirum est assensus obscurus, fundatus in testimonio Dei dicentis. Fides verò hoc modo accepta est duplex, nempe actualis, operatio scilicet intellectus, qua quis rem revelatam actu credit propter auctoritatem Dei loquentis; & habitualis, habitus scilicet, seu virtus intellectualis, ad hujusmodi actus eliciendos ordinata, juxta illud Apostoli 1. ad Corinthios, 13. vers. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas &c. sicque tum actum credendi denotat, tum habitum.

II. Quo sensu Fides in præsentî tractatur sumitur.

Ex his constat, nullo planè fundamento dici (in quo tamen obstinatissimi sunt nostri temporis sectarii) fidem justificantem vel non esse omninò actum intellectus, seu assensum ad articulos fidei propter auctoritatem Dei dicentis, seu revelantis, sed esse actum voluntatis, fiduciam scilicet, quam quis habet de propriâ justificatione, & prædestinatione, ut asserit Lutherus, vel saltem hunc actum fiducie essentialiter includere, ut cum aliis vult Calvinus. E contrario Orthodoxi omnes fidem justificantem, seu quæ ad gratiam, & justificationem requiritur tanquam fundamentum, docent esse actum intellectus, Deumque, & quicquid Deus revelavit habere pro obiecto. Unde juxta illud Apostoli ad Heb. 11. v. 6. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit: Deum autem esse credimus intellectu: quod etiam ex plurimis aliis Scripturæ locis constat, ipsoque Apostolorum symbolo, cujus articulos omnes fide justificante credimus. Videatur Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 11.

III. Nullo fundamento negatur fidem justificantem esse operationem intellectualem.

Aliis etiam modis præter jam dictos sumitur fides, ut interdum pro auctoritate, seu existimatione: sic Ecclesiastici 27. v. 17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum suum. Accipitur præterea aliquando fides pro conscientia: quo sensu dicitur aliquis bona vel mala fidei possessor: & in jure canonico statuitur nullam valere debere præscriptionem absque bonâ fide. Significat insuper nonnunquam fides quemlibet determinatum assensum intellectus: quo sensu dixit S. Augustinus de Prædest. Sanct. cap. 2. Credere est cum assensione cogitare. Interdum etiam sumitur fides pro materia, & obiecto, seu pro ipsâ doctrinâ fidei: qua ratione in Scripturâ dicimur accepisse spiritum ex auditu fidei, id est doctrinâ fidei, nam actus ipse credendi non auditur. In fine etiam Symboli Sancti Athanasii sic habetur: Hæc est fides Catholica: quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit, &c. Alias minoris momenti fidei acceptiones omitto, quæ videri passim poterunt in auctoribus.

Deum esse credimus intellectu, non confiamus voluntate.

IV. Fides aliquando sumitur pro auctoritate.

Fides interdum dicitur quævis assensus determinatus.

Doctrina Fidei vocatur etiam Fides.

